

guerre de mare e terra fatte in Italia : Dalmacia : Grecia : e contra tutti li infideli , composte per lo excelentissimo Mesere Marco Antonio Sabellico . & volgarizzate per Matheo Vesconte da Sancto Canciano . Versio haec imperfectissima est , cum ob stilum , tum aliis de causis , tum vero praecipue quia solos triginta priores libros amplectitur . Id eximium in illa est , quod interpres arbitrato suo in capita illam digessit ; nuncupavit autem Oldrado Lampugniano , viro nobili Mediolanensi , qui sumptibus eam suis impressit , ut verba innuunt , quibus totum clauditur opus . *Finiscono le Deche del facondissimo M. A. Sabellico , e tradute de latino in volgare per Matheo Vesconte de s. Canciano . Ad instantia e impensa de Oldrado Lampugniano . Stampate con gratia e privilegio . Che altri non le possa stampare ne far stampare in terre ne luochi de la Illustrissima Signoria de Venetia . Ne in el Dominio de la Serenissima Majesta del Re de Franza . Sotto pena de ducati X. per cadauno libro . De essere divisa como in quelli appare , &c. †.* Desideratur impressoris locique nomen , & impressionis annus . Editum tamen ut credam rude hoc opus , vertente anno M. D. VII. facit latina quaedam oratiuncula , quam habitam in Sabellici funere , infra ipsius historiam idem Vicecomes imprimendam curavit , ita ut facile sit conjicere , editionem eam aliquanto post auctoris obitum factam esse , quem extinctum anno M. D. VI. loco suo declarabimus . Versionem eam latino tetrastico laudat Nicolaus Gambus , ducalis scriba : ad hunc Vicecomes dat latinam epistolam , quae proxime exiecit italicam ipsius nuncupatoriam ad Lampugnianum . Versionis alterius multo accuratioris auctor est Ludovicus Dulcius , qui eam Nicolao Gabriellio , Marci filio , inscripsit . Primum Venetiis prodiit (a) anno M. D. XXXVIII. saepius deinde typis reddita est . Ignorare me tamen fateor , cur in plerisque editionibus Dulcii nomen non appareat etiam tum viventis , cum alioquin ille non propriis modo , sed alienis quoque nugis nomen suum ambiciosius ascriberet . Sed alium praeterea ejusdem historiae italicum interpretem comperio , cujus tamen opus numquam editum est . Is fuit Franciscus ab Ambra , patricius & academicus Florentinus , etruscarumque comoediarum scriptor insignis , teste Euphrosino Lapinio , ubi in *Furto* , quae Francisci ejusdem comoedia est , lectores alloquitur . Translationem hanc , quam ad finem nondum perductam , manuque sua exaratam auctor reliquit , apud ejusdem heredes adhuc asservari , ii perhibent , a quibus descriptas habemus *Literarias illustrium virorum Academiae Florentinae notitias* (b) pag. 51. & cl. v. Salvinus Abbas Salvinus in consularibus ejusdem Academiae fastis , nuper in publicum emissis (c) pag. 85.

(a) Per Cur-
tium Tro-
janum de
Navd , ad
signum leo-
nis in 4.

(b) Florent.
ap. Petr.
Marini,
1707. in 4.

(c) Florent.
ap. Jo. Ca-
jet. Tarr-
inum , &
Sanctem
Franchium,
1717. in 4.

Ea Patrum liberalitas Sabellicum adduxit ; ut historiae suae quatuor alios adderet libros , ab ipso inter opera sua inedita recensitos in epistola ad Cantalycium . Sunt praeterea QUATUOR rerum Venetarum LIBRI , ex historiae continuatione , quos NONDUM EDIDI : quosque compertissimum est , a nemine hactenus editos . Neque hic tamen celebrandae Reipublicae finis : namque , ut infra dicam , tribus libris exsecutus est urbis hujus descriptionem . His successit de Venetis magistratibus dialogus , ubi colloquuntur Sebastianus Baduarius & Benedictus Trivisanus , ille Veronae praetor , hic praefectus , quo tempore ea in urbe commoratus est Sabellicus . Praeit operi nuncupatoria ad Augustinum